

EPISTOLA B. IOANNIS APOSTOLI SECUNDA.

EIUSDEM Ioannis Apostoli duas sequentes esse Epistolas, vel ex eo patet, quod earum dogmata, sententia, verba non tam similia quam saepe eadem sint.

Scribitur autem hac SECUNDA EPISTOLA praecipue adversus Basilidis & sectatorum eius impietatem, tunc temporis docentium Christum non verum hominem, sed phantasma: ideoque eum nihil revera vel fecisse vel passum esse: quo errore totum redemptionis nostrae fundamentum subruitur. Gratulatur itaque Presbyter & Apostolus Ioannes Electa mulieri nobili, ac filiis eius, quod rectam de Iesu Christo fidem teneant, hortatur, ut in ea perseverent, & eam per charitatem atque obedientiam bonis moribus constanter exornent. Denique suadet ut haereses & haereseon disseminatores summo studio devitent.

Diligere alterutrum, est mandatum semper novum. Hereticis ne Ave quidem dicendum.

1. **S**enior Electa dominae, & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui cognoverunt veritatem,

2. propter veritatem, quae permanet in nobis, & nobiscum erit in aeternum.

3. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, & a Christo Iesu Filio Patris in veritate, & charitate.

4. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre.

5. Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed

* Ioan. 13. quod habuimus ab initio, * ut diligamus

34. & 15. alterutrum.

12. 6. Et haec est charitas, ut ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim

mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambulatis:

7. quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & antichristus.

8. Videte vosmetipsos, ne perdatis quae operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis.

9. Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.

10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.

11. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis.

12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium vestrum plenum sit.

13. Salutant te filii sororis tuae Electae.



EPISTOLA B. IOANNIS APOSTOLI TERTIA.

GAium collaudat Apostolus, quod in veritate ambulet, & rectam fidem teneat, eamque operibus charitatis & misericordia exornet. Hortatur ut utraque in re constanter perseveret, neque curet aut prohibitionem aut pravam exemplum Diotrophes: quin potius accendatur exemplo Demetrii viri sincere Christiani.

Laudat Gaium propter hospitalitatem, quae virtus est Christiana.

1. **S**enior Gaius charissimo, quem ego diligo in veritate.

2. Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, & valere, sicut prospere agit anima tua.

3. Gavisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuae, sicut tu in veritate ambulas.

4. Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.

5. Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,

6. qui testimonium reddiderunt charitati tuae in conspectu Ecclesiae: quos, benefaciens, deduces dignè Deo.

7. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus.

8. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus veritatis.

9. Scripsissem forsitan Ecclesiae: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrophes, non recipit nos.


10. propter hoc si venero, commonebo eius opera, quae facit: verbis malignis garruens in nos: & quasi non ei ista sufficiant: neque ipse suscipit fratres: & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit.

11. Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum.

12. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nostri quoniam testimonium nostrum verum est.

13. Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum, & calamus scribere tibi.

14. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatum.



EPÍSTOLA CATHÓLICA B. IUDÆ APOSTOLI.

ITA convenit argumentum huius Epistolæ cum iis quæ Beatus Petrus in secunda sua Epistola scribit, præsertim capite secundo & initio tertij, ut ea Iudas non legisse solum, veram etiam partim contrahendo, partim explicando, partim describendo, in suam transfuisse videatur. Nam quod quidam id potius à Petro factum volunt, minus probabile est. Apostolorum enim tanquam prædecessorum suorum, qui vita iam excessissent meminit hic Iudas vers. 17. ubi ait: Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hoc enim prædixit Petrus in secunda Epistola sua cap. 2. Unde Occumenius recte censet Iudam scripsisse post mortem aliorum Apostolorum (si unum tamen Ioannem excipias) Simoniacis & Nicolaitis iam canceris in morem latius serpentibus, & Dei gratiam in luxuriam transferentibus.

De huius Epistolæ auctoritate quamvis à quibusdam olim dubitatum sit, non est quod nos moretur. Causam enim dubitationis hanc affert Hieronymus, quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumitur testimonium. Addunt alii ea quæ de Michaëlis Archangeli altercatione narrantur, & de apocryphis sumpta videri possunt. At in apocryphis non omnia esse apocrypha nemo nescit; quod propheticus Apostoli spiritus potuit discernere. Sic Paulus quasdam Ethnicorum sententias in suis inseruit Epistolis, & inserendo consecravit: sic idem quadam Elipha verba protulit, quæ ab ipsomet Apostolo, auctoritatem Canonica Scripturæ acceperunt, quam ab Elipha Iobi amico habere non poterant.

Monet ut firmi sint in tradita semel fide adversus insurgentes impios ac lascivos; subdens de horum supplicio, in modum Iudæorum ac Sodomorum futuro.

Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacob, his, qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conservatis, & vocatis.

1. Misericordia vobis, & pax, & caritas adimpleatur.

2. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel tradita sanctis fidei.

3. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.

4. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Ægypti salvans, * secundò eos, qui non crediderunt, perdidit: * Num. 14. 34. & 37.

5. Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine * reservavit. * 2. Petr. 2. 4.

6. Sicut Sódoma, & Gomórrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. * Gen. 19. 24.

7. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.

8. Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercarétur de Móysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemix: sed dixit: * Imperet tibi Dominus. * Zach. 3. 2.

9. Hi autem quæcúmque quidem ignorant, blasphemant: quæcúmque autem naturaliter, tamquam mura animalia, norunt, in his corrumpuntur.

10. Væ illis, quia in * via Caïn abiierunt, & * errore Balaam mercède effusi sunt, & in contradicçãoe * Core perierunt: * Gen. 4. 8. * Num. 22. 23. * Num. 16. 32.

11. Hi sunt in épulis suis maculæ, convivantes sine timóre, semetipsos pascētes, * nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mórtuæ, eradicatæ, * 2. Petr. 2. 17.

12. fluctus feri maris, despumantes suas confusions, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

13. Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: * Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis * Apoc. 1. 7.

14. facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egērunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.

15. Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, * & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causâ. * Psal. 16. 10.

16. Vos autem charissimi memores estote verborum, * quæ prædicta sunt ab Apóstolis Domini nostri Iesu Christi, * 1. Tim. 4. 1.

17. qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. * 2. Tim. 3. 1. * 2. Petr. 3. 3.

18. Hi sunt, qui ségregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.

19. Vos autem charissimi superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestra

fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.

20. Et hos quidem arguite iudicatos: illos verò salvate, de igne rapiētes: Aliis autem miseremini in timore: odiētes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

21. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, & constitūtere ante conspēctum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Iesu Christi.

22. Soli Deo Salvatori nostro, per Iesum Christum Dominum nostrum, glória & magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

